



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 3. Alii Martyres.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

ne maritum ad constantiam exhortaba- Sæculum IX.
 tur. Postquam secundam quæstionem A.C. 852.
 subiissent, ad pœnam capitis damnantur,
 excepto Monacho Georgio, cui sospiti
 abire permissum, quod ipsum nulla con-
 vicia in Prophetam suum conjicientem
 audivissent, ipse pertimescens ne a Mar-
 tyribus avelleretur, proclamavit, cre-
 dere se, Mahometem esse Discipulum
 Satanæ, Antichristi pessimum manci-
 pium, Sectatores suos ad æterna incen-
 dia secum rapiens. Ergo cum ceteris
 capite damnatur. Primum Felici, dein-
 de Georgio, Liliofæ, Aurelio, & Sabigo-
 thoni cervices abscissi, vigesima septi-
 ma Julii, Æra 890. anno a Nativitate
 Christi Domini 852. Ecclesia Romana
 eadem die hos SS. Martyres colit. Cor-
 pora eorum furtim a Christianis ablata,
 & in diversis locis sepulta, nempe Geor-
 gius & Aurelius in Monasterio Pinname-
 lariensi, Felix ad S. Christophorum, quod
 ultra flumen Bætum est, Sabigotho in
 Ecclesia trium Sanctorum, Fausti, Janua-
 rii, & Martialis, Liliofa ad S. Genesium
 recondita.

§. III.

Alii Martyres.

Vigesima Augusti sequente duo Mona-
 chi Juvenes Christophorus & Leo-
 vigildus illustre Martyrium consumma-
 runt.

Hist. Eccles. Tom. XI.

M m

runt.

C. II.

Sæculum IX. runt. Christophorus Cordubæ natus,
 A. C. 852. Eulogii Presbyte i Discipulus, in monte
 Cordubensi & Cœnobio, quod Rajanum
 dicebatur, Monachus fuit. Leovigildus
 autem Eliberim habebat patriam & in
 Asceterio S. Justi & S. Pastoris in eodem
 monte Cordubensi Monachum professus
 fuerat. Hi non eodem quidem tempo-
 re coram Iudice steterunt fidem Chri-
 stianam profitentes, sed eodem die ne-
 cati. Reliquiæ corporum flammis tra-
 ditorum collectæ & in Ecclesia S. Zoili
 conditæ.

6. 12.

Non longo exinde intervallo duo ju-
 venes passi sunt nobili familia procreati,
 patria Cordubenses, Emila & Jeremias,
 qui in Ecclesia S. Cypriani literas huma-
 niores docebant. Ille Diaconus, hic
 Laicus erat. Cum ambo linguam Ara-
 bicam callerent, Emila adeo acriter in
 Mahometem lingua invectus est, totque
 effudit convicia, ut ex omnibus antee-
 dentibus Martyribus nemo plura. Hi
 decima quinta Sept. interempti.

6. 13.

Altera die Martyrio coronantur duo
 Monachi ambo Evnuchi, alter senio gra-
 vis nomine Rogellius, alter juvenis no-
 mine Serviodeo, qui ex Oriente aliquot
 abhinc annis advenerat. Hi sanctissi-
 mam societatem ineuntes vicissim pro-
 mittebant, nunquam se passuros, ut al-
 ter ab altero avelleretur, donec coro-
 nam

nam Martyrii obtinuissent. Ergo in-
 trant Moscheam Cordubensem in me-
 dio populi, ibi congregati, Evangelium
 prædicant, & Musulmannis instant, ut
 ad Jesum Christum convertantur. Illi-
 co magnus tumultus exoritur, Monachi
 cæduntur, lacerantur, quin & in mille
 frustra abiissent, nisi Judex, tunc præsens,
 populum compescuisset. Nam Musul-
 manni nefas putant, si homo ab ipsorum
 Religione alienus Moscheam id est Tem-
 plum eorum ingrediatur. Interim duo
 Monachi catenis vinciuntur, & detru-
 duntur in carcerem, ubi virili constan-
 tia Verbum Dei prædicare non cessarunt,
 & Regem proxime moriturum prædixe-
 runt. Ceterum in pœnam, quod tem-
 plum Mahometanorum ingressi essent,
 & ibi Evangelium prædicassent, eis pri-
 mum manus pedesque amputati, & dein-
 de a cervice caput revulsum. Cumque
 tantos cruciatus & supplicium ultimum
 imperterriti sustinerent, Christianorum
 invictam constantiam ipsi spectatores In-
 fideles obstupere. Hos sex Martyres in
 die qua passi sunt Ecclesia colit.

Sæculum IX.
 A. C. 852.

Mart. Rom.
 20. Aug. 15.
 16. Sept.

§. IX.

Concilium Cordubense.

At vero Musulmanni conspicientes tot
 Christianos ultro in mortem ruere,
 timere cœperunt, ne seditio commove-
 retur.

c. 12. 14.

Mm 2

retur.